



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Sabinus Ep. 17. Feb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

demum illa blanditias in sponso laudavit. Interea boni Angeli vultum indutus malus, satis ait virtuti datum esse. Dissimularet posthac pietatem. Super cordi cor fore, quod pervium utique illis esset. At JULIANA, fraude inter preces cognitâ, vincula sua exuit, & consiliario pessimo induit. Vincto verberetiam addit. Tunc sub virginis manugemuit orcus, & malum Angelum bonus risit. Porro martyr flammâ ad quam damnata erat, lacrimis extinxit, lebetem ab igne ferventem precibus rupit, denique prius quàm manum judici proco daret, caput dedit. Mox tamen etiam poenas hic. Undis enim haustus, & in litrus ejectus in cibum canibus cecidit, dignum nactus tyranno sepulchrum.

Ex Metaphr.

Demonum est, malas cogitationes suggerere; nostrum est, illicò eas expellere. Voluntate suâ cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat. Cogitatio tamen immundamentem non inquinat, cum pulsat, nisi cum hanc sibi per delectationem subjugat. S. Bern. de Int. Dom.

S. SABINUS EP. 17. Feb.

Quis fidem habeat? Plura Pont. SABINUS vidit, cum oculos senex amiserit, quàm prius cum utrumque circumtulit. Certè, quæ nulli oculo pervia sunt,

17. Feb. VITÆ SANCTORUM. 123
sunt, arcana animorum & longè absen-
tia, perspexisse memorant. Et ecce a-
dest hoc ipsum feliciter experturus Toti-
la. invitatus ad cœnam frugalem assi-
det, principem tamen locum Episcopo
Rex cedit. Paulò post miscet puer vinum,
& SABINO porrigit. Hic Totila prehen-
sum clam manu poculum regiâ manu mi-
nistrat, nec tamen fallit oculatissimum
cæcum. Caput hic & doctam fraudem
beneficio ingenti pensaturus inter risum
Vivat, ait *hæc manus*, Præmium igitur
nobilis pocillator tulit, sed malum alter
maximum, qui auctor esse puero non
dubitavit; ut merum veneno tempera-
ret. Erat hic SABINO in sacris Diaconus
& longævo seni infulam invidebat,
suam (ut ipse quidem putabat) hæredi-
tatem, sed contrâ factum. Hoc enim
etiam prævidens SABINUS egregium
Ganymedem prælibare jubet. deprehen-
sus ille, & mortem longam, quam me-
ruisse se viderat, alter à morte, sed bre-
vi præoccupaturus impigrè ori poculum
admovet, Sed rapit è manu Episcopus,
&, ii potius inquit, & Diacono nuntia
venenum me bibere, caterùm Episco-
pum illum minimè futurum. Simul cru-
ce ducta poculum siccatur. Non SABI-
NUM, sed Diaconum bibisse dixisses.
Valuit enim hic, ille occidit. Sanitatem
vulgò alienam se bibere ajunt, Id verum
an sit, nescio. Alienam certè SABINUS
MOR-

124 VITÆ SANCTORUM. 18. Feb.
mortem bibit. Ex Dial. S. Greg. lib. 3.
cap. 5.

*Semper Diabolis nostris saturatur ex cul-
pis: Ille cibum nostrum deducit in crapa-
lam, potum nostrum in ebrietatem diffun-
dit, ut mentem faciat amentem, carnem
luteum reddat, corpus animi domicilium,
anima vas, murum spiritus, virtutum
scholam, Dei templum in scenam crimi-
num, in vitiorum pompam, in volupta-
tum redigat theatrum. S. Pet. Chryl.
serm. 12.*

S. HELLADIUS CONF. 18. Feb.

Primam ætatem maximamque vite
aulicus HELLADIUS, alteram mo-
nachus, ultimam Pontifex egit; om-
nem ita, ut dubitem, quam sanctius.
Rempublicam cum adhuc administra-
ret, latere jam tum sub purpurâ mona-
chum deprehendisses, ita modestia hanc
ornabat. Ergo igitur quoties via ad mo-
nasterium Agaliense ferebat, descendere
HELLADIUS ex equo, amissoque famulo-
rum & clientem grege, Dei servis ope-
ram suam locare, furnoque instruendo
ligna comportare iis humeris, quibus re-
gni onera solebat. Quantum Superi! re-
fert, quibuscum familiaritatem in eas.
Consuetudo hæc sancta paullatim om-
nem mundi pulchritudinem ex animo
HELLADIUS delevit, & id denique potuit,
ut